



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**TRACTATVS|| DE CON-||FESSIONIBVS MA=||LEFICORVM ET  
SAGA-||RVM SECVNDÒ RECOGNI||tus, & auctior redditus.||  
An, & quanta fides ijs adhibenda sit?||**

**Binsfeld, Peter**

**Avgvstae Trevirorum**

**VD16 B 5530**

Quinta Conclusio. Futura merè contingentia, & indeterminata Dæmones  
non possunt naturaliter cognoscere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41113**

**R**ATIO: Quia cū hęc futura solūm habeant esse in sua causa determinata non necessariō, & infallibiliter, sed vt plurimum simili modo cognoscuntur iuxta dictum pronunciatum. Sic Dæmon possit prædicere mago vel malefico anni fertilitatem, quando est bona cœli cōstitutio, aut aëris optima constitutio, non tamen infallibiliter, quia fructus multis modis possent impediri ex alijs causis.

*Quinta Conclusio. Futura merè contingentia, & indeterminata Dæmones non possunt naturaliter cognoscere.*

**Q**UIA hęc futura cū sint ad vtrumlibet, indeterminatam & fallibilem habent causam, atque ab hominis libero pendent arbitrio, quod in vtramque partem potest flecti. Liberum enim arbitrium, quantum ad actus sui determinationem, non cadit in cognitionem certam Dæmonis. Et confirmatur ratione. Quia si posset cognoscere, vtiq; vellet scire, An vinceret hominem, vel esset vincendus ab homine, quem tentat: Quia cū superbus sit, nunquam tentaret eum, à quo se vincendum præsciret. Ideoq; semper tantum eum tentaret, quem se victurum præcognosceret. Sed clarum est ex sacris literis, gestis Sanctorum, & experientia, quod tentat etiam alios, à quibus vincitur, vt patet in Iob, Salvatore nostro,



nostro, S. Antonio, Hilarione, & multis alijs. Ergo non præcognoscit futura ad vtrumlibet.

Sexta Conclusio. *Dæmones sæpè de actibus humanis coniecturaliter vera prænunciant.*

**R**ATIO: Quoniam Dæmones passiones appetitus sensitiui, ac inclinationes corporales cognoscunt, & cùm plures sint, qui appetitum & carnalia desideria sequuntur, quàm qui illis resistunt, sæpè de actibus humanis vera conijciunt. Qualis enim quisq; est, talem sibi finem præscribit. Ex externis etiam signis & operibus qualis interior homo sit, non est difficile iudicare, iuxta illud Euangelij. A fructibus eorum cognoscetis eos.

Septima Conclusio. *Cogitationes hominis pendentes à voluntatis nostræ libertate, si solo intellectus & voluntatis termino contineantur, Dæmones non cognoscunt.*

**P**ROBATVR. Quia hoc diuinæ maiestatis proprium est. Ieremiæ 17. Prauum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes. I. Paralip. cap. 28. Omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogita-